

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 5933

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2281

A S C E T I C I.

2282

auia llamado, y reconocieron non estar la falta en el estado de Vida, si no en el non saber usar del como deuián. Sectum est in IV. Dialogos pium hoc Drama, quorum I. et III. inter Fratres, II. et IV. inter Sorores. Autor taceatur, qui fortassis est idem Hieronymus de Lemos, ut omnia sua dent.

DCI.

809 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 405. 8. minute descriptus dicitur: *Guldten Schatze Der Himellischen Glory*, id est: *Aureus Thesaurus Coelestis Gloriam*, agitque Partibus III. de Vita et Morte D. N. J. Ch. Autor *Georgius Harsch* dicat *Ferdinando II. Imp. die Bartholomaei Apost. anno 1635.* nihil tamen de se in prolixa nuncupatoria memorat, neque alibi quidpiam de eo memoratum reperio, unde ignoro, an ad nobilem, nunc Comitum, hujus nominis gentem pertineat. Virum fuisse pium, in sacra lectione versatum, linguaeque latinae peritum ex Autorum adductorum locis patet, et fortassis concinnius ea lingua differuisset, quam patria, quod quidem multorum ea aetate in *Germania* fatum fuit. Ait tamen in *Praefatione*, quae *Dicationem* excipit, se stilo simplici usum, quo Operis utilitas ad plures porrigeretur. *Parte I.* agit de Fructu multiplici, qui e frequenti Vitae Mortisque Christi contemplatione redundat, *Parte II.* Vi-

tam Servatoris ab Incarnatione ad Crucifixionem perducit, *Parte III.* Reliqua usque ad Ascensionem in Coelum exequitur, tum perorat.

DCII.

Codex chartaceus ital. Sec. 704 XVII. Folior. 367. 4. non una manu exaratus continet *Thomae Bergomatis* Ord. Capuc. Adjutoris, ut vocant, Laici Opuscula Ascetica inscripta *Leopoldo Archid. Austr. Caroli Styriaci* filio. Sunt vero ea: *Scala di Perfezione*, *Breue Trattato di cose spirituali*, *Dell' Ascensa del nostro Signore in Cielo*, *Dell' Amore et unione, che ha l' Anima con Iddio*, *Dell' Estasi*, et quaedam de Amore Dei Fragmenta. Alia illius enumerat III. *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol. II. P. 2. p. 942.* Affectibus mysticis multum indulget Vir pius, qui se *sempllice idiota et ignorante fraticello* compellat, seque sua non nisi *delle longe orationi et frequenti contemplationi* hausisse adserit. Interim tamen textibus S. Scripturae et quorundam Patrum *latinis* utitur. Obiit *Oeniponte a. 1631.* *Ferdinando II. Imp. Leopoldo* supracit. et *Carolo Madrutio Card. Tridentino* carus.

DCIII.

Codex chartaceus ital. Sec. 572 XVII. Folior. 44. 4. continet *Job. Francisci a Clesio O. M.* Summaria X. Librorum, quos de Vita

2283

C O D I C E S

2284

Vita sua et divinis favoribus in se conlatis scripsisse dicitur *Job. Maria de Cruce* Fundatrix et Antistita Parthenonis S. *Caroli, Roboreti* in *Tyrol*. Ita Titulus: *Indice Capitolare De' Libri composti d' ordine di Dio, e de' suoi Superiori dalla Sposa di Christo Suor Gioanna Maria della Croce, Fondatrice et Abbadessa del Venerab. Monastero di S. Carlo in Roueredo.* Liber X. qui nondum completus dicitur, finit in anno 1667. Multa hic mira Visionum, Revelationum, Sospitationum, Liberationum e flammis piacularibus, qualia in *Hildegardis, Elisabethae, Birgittae*, aliarumque recentiorum piarum Virginum Vitis, Scriptisque legas. Ad *Asteriscum* variis Capitibus adpositum notat Scriba: *Questo Segno dinota Intelligenza, o gratia Diuina ottenuta alla Ser^{ma}. ed Aug^{ma}. Casa d' Austria, o ad alcun Personaggio della medema.* Harum non una ab igne purgatorio liberata narratur. De hac ceterum Matrona, antequam Claustrum subiret, dicta *Bernardina Josefbi Floriani* Civis *Roboretani* et *Pictoris* filia, quae a. 1603. nata a. 1673. obiit, adi, si lubet, *Jac. Tartarotti Saggio della Bibliot. Tirolese. In Rovereto 1733. p. 70. 8.*

DCIV.

243 Codex membraneus lat. Sec. XIII. expirantis Folior. 102. f. luculente scriptus et rubricis distinctus continet praemisso indice

Capitulum CXXIX. Dicta PP. et quorundam Philosophorum de Virtutibus et Vitiis. Titulus est: *Incipiunt Collecta quedam* (hae duae voculae atramento rescriptae sunt) *Fratris Erchengeri Monachi Sancte Crucis.* Monasterium istud Ord. *Cist.* in inferiore *Austria* fundatorem agnoscit B. *Leopoldum* Marchionem anno 1136. Caput I. est *de spiritu sancto*, et incipit a loco Bernardi: *Venit super discipulos spiritus sanctus in linguis igneis &c.* Ultimum inscribitur *de Monachis*, et in haec Bernardi verba definit: *Ideo grande malum propria uoluntas. qua fit ut bona tua bona non sint.* Adhaerent in calce brevis nota: *Qualiter se homo probare debeat, volens Christi corpus suscipere, et Versus* hiulci de 7. Vitiis capitalibus, sed manus recentioris. De *Erchengero* compilatore nihil reperio. Codici praetexta sunt folia duo vetusti *Necrologii* *Coenobii* memorati sed abscissis mensium dierumque notis, ut adeo nihil, nisi praecipua nomina, inde repraesentare liceat. Sunt vero: *Hainricus dux Austriae qui dedit nobis Minchendorf. Otto de huseke. Otto de hage. Hermannus de mutinstorf. Adalbaidis de mistelpach. Ernestus filius leopoldi Marchionis fundatoris nostri. Wlfkerus Aquilegiensis patriarcha. Maganus et Rudolfus Abbatessae de cella Sancte Marie. Gerlaus abbas runensis* (ante an. 1156.) *Poppo et Pertoldus Episcopi Patavienses. Chunradus abbas Montis Sancte Marie. Heinricus trecentis*